



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

Controversia II. De conceptu viuentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

CONTROVERSIA II.

De conceptu viuientis.

ANIMA est viuientis forma, & omne ens animā constans viuens est, non tamen omne viuens animam dicit; Angelus enim propriissimē uiuit, & animā caret, & Deus uiuit, & vita est, tamen neque est anima, neque animam in se habet; est ergo anima uiuendi ratio in viuentibus, quā formā componuntur. Hac ratione ad disputationem de anima spectat, proprium vitæ atque viuientis indagare conceptum, in quo inuestigando materiam nostrorum recentiorum labor superauit, qui in re nimis aridā, & angustis definitā terminis varias de hoc viuientis conceptu tradidēre definitiones, & in diuersas distracti sunt sententias; pleræque autem illarum. si rectē conspiciantur, multam inter se affinitatem habent, & tantum in loquendi modo auctores dissentiunt.

PUNCTVM PRIMVM.

Apparatus ad totam rei elucidationem.

INUM in hac re primum noto: nos in hac quæstione non indagare definitionem, vt ex illa, definita cognoscamus, potius iam cognitis definitis quærimus definitionem, vt ipsam illis applicemus. Tenet tota Schola, sensitiua omnia, & intellectiua, necnon vegetatiua propriissimē uiuere, neque de hoc quæstio potest incidere. Si quis enim assereret, plantas vegetari; bruta sentire, & vegetari; hominem vegetari, sentire, & ratiocinari; & simul assereret plantas, vel bruta, vel hominem non uiuere, tantum discederet à communi sententia in modo loquendi vt cum Suatio ex Clement. Alexand. notabam. Controu. precedenti, Punct. i. ubi probaui plantas propriissimē vitæ compotes esse. Idem esset, si quis diceret Angelos, imò & Deum intelligere, & amare, & exercere omnes operationes, quas nos in Deo, & in Angelo agnoscimus, & his concessis, Angelo, & Deo vitam denegaret, nihilominus grauius puniendus esset, quisquis ita loqueretur, quia dicere Deum non uiuere hæreticum est, dicente Deo: *Vino ego, nolo mortem peccatoris, &c.* Sicuti grauius delinqueret qui diceret Christum non esse hominem, & in omnibus loquendum est, iuxta communem, & in rebus fidei ab hac discedere, hæreticum sonat. In re nostra omnes Doctores, & Ecclesiæ Patres, & Canonici scriptores viuentia vocant, quæ intelligunt, & amant, sicuti Deus, Angelus & homo: quæ sentiunt, & appetunt sicut bruta: necnon quæ se per intrusumptionem nutriunt, vt plantæ. Neque aliud tanquam ens viuens appellauit probatus vllus Doctor. Quapropter nostrum in hac re negotium erit definitionem tradere, & proprium indagare conceptum his viuentibus communem, in quem omnes conspirent, & per quem ab omnibus quibuscunque aliis differant.

2 In omnibus viuentibus assignatis (Deo dempto, de quo est quæstio, an habeat vitam per modum actus primi) duplex reperitur vita: quædam radicalis, & per modum actus primi; formalis alia, & per modum actus secundi. Vita radicalis, & per modum actus primi est principium operationum vitalium, in ordine ad quod operationes dicuntur *vita* in actu secundo, seu illud principium vitalium operationum, quod dicitur in actu secundo vitæ ipsi operationibus. Vita in actu secundo dicuntur ipse operationes vitales, v.g. nutritio, sensatio externa, & interna, atque appetitus sensitiui actus, & cognitio, & volitio. Vita per modum actus primi diuidi solet in vitam substantialem, & accidentalem; vita substantialis est anima, vel Angelus, seu substantia, quæ dicitur in actu secundo uiuere operationibus vitalibus. Vita accidentalis (si aliqua est) erit potentia, vel comprincipium accidentale vitæ substantialis, quod dicatur uiuere eisdem vitalibus operationibus.

Vitalem operationem immanentem esse affirmant omnes Doctores, licet in illius immanentia explicanda plures sint sententiæ. In præsentiarum explicabo quorū modis actio immanens esse possit, dicturus postea, quæ immanentia sit de ratione operationis vitalis.

Primo potest esse operatio immanens ratione identitatis, & unitatis simplicissime ipsius cum operante, cum quo identificatur realiter, siue formaliter ab illo distinguatur, si distinctionem adhuc formalem non admittat. Hac ratione operationes Dei ad intrā, v.g. cognitio, & volitio Dei, dicuntur operationes immanentes, quia non distinguuntur realiter ab ipso Deo, & in multorum opinione, nec adhuc formaliter distinguuntur saltem cognitio, quia hanc assignant tanquam primum constitutum diuinæ essentia; & volitionem simul pertinere ad constitutionem essentialem Dei, quā plures affirmant. Hoc immanentia genus tantum conuenit operationi increatæ, & infinitæ Dei. An verò possit alicui creaturæ competere, scilicet an possit dari creatura aliqua, quæ per se ipsam sit cognitio obiecti, non est huius loci examinare, neque de hoc quæstionem vellem instituire, nulla enim, quæ de possibili procedit, non mihi est molesta: passim tamen dico in negatiuam partem propendere, quia cognitio dicitur operatio, seu actio, quæ non potest dari in creaturis identificata cum principio, vt probaui 3. Physic. Contr. 1. punct. 1. dabo tamen ad præsentem controuersiam, & naturam actionis vitalis cognoscendam, talem creaturam possibilem esse, v.g. Angelum per suam entitatem cognoscantem semetipsum, aut aliud obiectum; ita vt talis Angelus essentialiter sit cognitio sui, seu obiecti, quod per suam entitatem cognoscit.

Circa immanentiam huius operationis creatæ identificatæ cum substantia cognoscente, placet notare, talem operationem dici immanentem, respectu operantis intentionaliter, hoc est, per illam cognoscens, quod est substantia identificata cum cognitione. Non tamen talis operatio dicitur immanens, respectu sui principij; quia cum ipsa sit identificata cum substantia, v.g. cum Angelo, distinguatur à principio illam producente, quod erit Deus, respectu cuius neque hæc substantia identificata cum cognitione, neque alia creatura ad extra producta immanens esse potest. Et etiam si talis cognitio identificata cum substantia ab alio principio creato produceretur, non esset immanens respectu illius; quia esset substantia completa, sicut Angelus; quæ supposito distingueretur à suo principio, & hæc non potest immanenter produci à creatura, nullum enim principium creatum potest immanenter producere suppositum aliud, neque completam naturam, quia neque natura, neque suppositum supponunt subiectum, neque inhesionis, neque informationis. Quod autem non supponit subiectum, non potest produci à principio, quod se habeat, vt illius subiectum.

Alia est operatio immanens superaddita principio, à quo procedit: tales sunt operationes omnes, & quæ procedunt à principio creato; & hæc dupliciter possunt immanentiam habere. Primo ratione inhesionis, id est, quia sunt id, quo illarum terminus, siue identificatus cum actione, siue ab ipsa distinctus, inhaeret principio, à quo fluit, & ipsa per se ipsam eidem inhaeret. Secundo per vnionem, quia videlicet terminus actionis vnitur subiecto, à quo procedit, etiam si non subiectetur in illo. Finge tibi, vt rem percipias, animam rationalem simul cum vnione, seu vnitate per se ipsam creati à materia; talis creatio diceretur immanens ratione vnionis, quia media hac illius terminus maneret in principio, à quo fluit. Et ne ad chimæras abeamus ad rem explicandam, suppone modò, quod postea probabo Controu. 3. Punct. 1. sensationem materialem productam ab animo rationali subiectari in materia, tanquam in subiecto inhesionis, & vniri per se ipsam animæ tanquam subiecto informationis; hæc sensatio est immanens respectu animæ; quia manet per vnionem in ipsa anima, à qua efficienter dimanat.

Rursus actio immanens ratione inhesionis, & ratione vnionis potest esse immanens ratione principij, vel ratione termini, vel ratione vtriusque adæquatè, vel adæquatè ratione termini, & adæquatè ratione principij, ita vt ratione cuiuslibet, alio seculo, immanens necessariò euadat. Vel potest esse immanens, neque ratione termini, neque ratione principij, neque ratione vtriusque; sed tantum ratione sui. Actio immanens ratione principij erit illa, cuius principium

pium ita sit determinatum ad immanenter operandum, ut nullam possit transeuntem operationem exercere. Hanc immanentiam omni substantiæ creatæ tribuit Thomistæ asserentes, nullam posse aliquid extra se producere immediate, & per se, sed tantum accidentia illi unita, & inherencia. Actio immanens ratione termini, erit illa, cuius terminus immanenter petit produci, sicut intellectio, quæ petit inherere, vel saltem vniri principio intellectiuo, à quo procedit. Actio immanens ratione termini, & ratione principij adæquatè, & inadæquatè, ratione cuiuslibet, erit productio potentie intellectiue, in opinione, quæ asserit, hanc ex se non petere immanenter produci; & animam posse immediate motum localem, vel aliam operationem in subiecto extraneo producere, iuxta quam neg; principium huius actionis, neque terminus seorsum sufficienti ad immanentiam præstandam actioni, vtrumque tamen necessario immanentiam actioni præfigunt, quia ab hoc principio in specie ad hunc specie terminum non potest transiens actio dimanare, nulla enim anima potest intellectum producere in subiecto extraneo. Actio immanens ratione termini, & ratione principij, adæquatè ratione cuiuslibet erit, quando terminus ex se determinatus est, ut, à quocumque principio producat, fiat immanenter, & principium determinatum est ad immanenter producendum quicquid ab illo procedat. Hæc immanentia potest tribui intellectioni in Thomistarum opinione, iuxta quam, ratione principij adæquatè operatio immanens euaderet, etiam si terminus productionem immanentem non exposceret: quam immanentiam eademmet intellectio ratione termini sufficienter exposcit, seclusa determinatione principij ad immanenter operandum. Actio immanens, non ratione termini, neque ratione principij, sed tantum ratione sui, est actio, quæ ignis igne sibi vnium producit. Quia ignis productus non exposcit vniri principio, à quo producitur; neque ignis produciens exigit ratione sui vniri sibi ignem productum; neque vterque simul, quia posset idem ignis productus ab eodem igne producte prodire nulla vnione intercedente inter vtrūque. Similiter in sententia asserente ignem posse calorem producere in subiecto extraneo, actio, quæ producitur calor ab igne in se ipso, neque est immanens ratione termini, neque ratione principij, neque ratione vtriusque; quia potuit non solum idem specie, ab eodem specie principio transeuntem produci, sed etiam idemmet numero calor ab eodem numero igne per actionem transeuntem produci. Restat ut hæc actio tantum ratione sui immanens dicatur, quæ immanentia per accidens communiter vocatur; quod intelligendum est respectu principij, & termini, non respectu actionis, quia illa actio, per suammet entitatem immanens est, & de potentia absoluta non potest non esse talis; quod autem conuenit alicui entitati per se ipsam non potest illi conuenire per accidens. Fateor hanc immanentiam non esse essentialem huic actioni, quia non conuenit illi ratione differentie specificæ; sed tantum ratione differentie indiuidualis, seu ratione prædicati medij inter differentiam specificam, & indiuidualem, per quod hæc actio non notabiliter differt ab aliis transeuntibus respectibus principij & terminum eiusdem speciei.

8 Iterum immanentia duplex est, quædam respectu eiusdem indiuisibilis principij, à quo procedit actio, alia respectu alijs compartis unitæ principio tanquam alteri compartis immanentia ratione eiusdem indiuisibilis principij est, quando actio, & illius terminus manent informatiue, aut entitatiue in eadem indiuisibili entitate, à quo procedunt: sicut intellectio procedit ab anima rationali, & eadem animæ rationali vnitur, & inheret. Immanentia ratione alijs compartis est, quando effectus produciatur ab vna parte compositi, & recipitur, atque vnitur alij compartis, non verò principio, à quo fluxit.

9 Rursus immanentia ratione compartis potest esse ratione compartis pertinentis ad totum substantiale, & ratione compartis pertinentis ad totum accidentale. Immanentia ratione compartis pertinentis ad totum accidentale, est, quando actio procedit à forma accidentali, & recipitur in subiecto, talis accidentis, cum quo accidens efficiens totum accidentale componit. Hanc immanentiam habet actio productiua coloris procedentis à primis qualitatibus receptis in subiecto, in quo recipitur actio, & calor productus ex vi illius. Eandem immanentiam habet actio productiua saporis, & aliarum secunda-

darum qualitatum, quæ resultant ex temperamento primarum, & recipiuntur in eodem subiecto, in quo recipiuntur primæ. Hoc immanentia genus improprissimum est, quia non recipitur actio in principio, neque in aliquo, quod cum illo totum substantiale constituit; imò neque specialiter modo procedit à principio aliquo, quod cum subiecto constituit vnum totum per se, licet accidentale. Quia calor eodem indiuisibili modo procedit ab omnibus qualitatibus, quæ cum subiecto non constitunt vnum totum accidentale, sed plures ex calore enim, frigiditate, humiditate, & siccitate, & ex subiecto sit calidum, frigidum, humidum, & siccum: quæ non vnum solum accidentale, sed plura cum subiecto communi constituunt. Quod si sententia externa procedat ab anima, & ab specie quæ simul non constituunt vnum totum per se cum subiecto, sed plura, vnum substantiale, & aliud accidentale; procedit tamen speciali modo ab anima, quæ constituit vnum per se cum materia, quod non procedit ab alio principio; videlicet tanquam à vita radicali, & substantiali, cui primario, & per se formaliter vitalitatis effectus correspondet.

Immanentiam ratione compartis pertinentis ad totum substantiale subdiuido: Alia respectu compartis pertinentis ad totum substantiale essentiale: hanc immanentiam habent sensationes materiales, in opinione, quæ illas constituit productas ab anima, & inherentes, & unitas totum materię. Alia est ratione compartis pertinentis ad totum substantiale integrale. Hanc immanentiam habet actio nutritiua; cuius terminus integraliter vnitur suo principio. Vtrique immanentia est propriissima, quia ratione illius principij productum, & terminus productus constituunt quoddam totum substantiale; & illam habet actio ex prædicato specifico principij productiui, & termini producti ut vnienti extremo præexilienti.

Ex his immanentibus plures possunt in eandem actionem confluere, & immanentiam inherens semper vnitas comitatur. Intellectio enim respectu animæ immanens est, quia in ipsa recipitur, & quia illi vnitur; & sensatio externa in mea opinione, quæ illam constituit procedentem ab anima, vnita, & inherens materię, atque simul eidem animæ immediate vnita, immanens est ratione vnionis, & inherens in comparte, cum qua illius principij totum substantiale constituit, & ratione vnionis immediate ad ipsam animam.

Inter actiones immanentes rursus alia est simplex emanatio, alia pura actio. Simplex emanatio est illa, quæ productiones procedunt ab essentia, sine consortio alijs compartis creati, sed tantum essentia se habente per modum principij actiui, & passivi respectu illarum: quæ generantur tribuantur, quia generans essentiam producit adæquatè in actu primo potentem has emanationes in lucem edere independentem ab alio compartis creato. Vnde videtur essentia has actiones producere ut instrumentum generantis. Et in hunc sensum loquitur D. Thomas, cum dicit potentias produci ab anima in virtute generantis, in quo Thomistæ loqui debent ne verborum Angelici Doctoris sensum corrumpan, quod expresse docet Caietan. 1. part. quæst. 77. art. 1. in fine: *Diligenter aduerte, & accipe tñ, quod apud S. Thomam, cum accidens dicitur agere in virtute substantię, est constructio intransitiua, id est, ipsa virtus substantię. Huc enim tendit tota responsio, quod accidentalis vis, non sua, sed substantię est virtus, quoniam accidens est virtus, cuius est agere, quod est etus, cuius est esse, quod non est, nisi compositi, quod substantię forma est, & accidentali, ut virtute operatur. Non ergo foras intentionalem aliquam formam, ut saltem agere in virtute substantię, ut quibusdam visum est. Quibus verbis ex mente Angelici Doctoris explicat Caietanus, quid sit accidens agere in virtute substantię. In quo sensu intelligendi sunt Thomistæ, cum dicunt essentiam agere in virtute generantis, constructione intransitiua, ut loquitur Caietanus, hoc est, per virtutem, quam primò recipit à generante, per quam, seu media quæ generans dicitur agere.*

Neque simplex emanatio supponit in subiecto aliquod accidens, cum solum ab ipsa dependeat. Vnde si plura accidentia inter se connexa adueniant materię, primò accidens, si immanenter producat, per simplicem emanationem procedet, reliqua verò, quæ hoc supponunt, non per simplicem emanationem, sed per actionem simpliciter seu specialiter dictam, prout ab emanatione distinctam, à principio nascuntur. Est insuper simplex emanatio naturæ suæ eorum subiecto, quia cum ab illo oriatur necessario, &

in primo instanti, in quo subiectum producit, & est in actu primo ad talem emanationem; per se loquendo in illo in hanc emanationem erumpet. Dixi *per se loquendo*, quia per accidens potest aqua impediri, ne in primo instanti frigiditatem producat, vel in sequentibus conseruet, etsi per simplicem emanationem frigiditas procedat ab aqua: sic simplices emanationes explicat P. Suarez i. Metaph. dip. 18. sect. 3. num. 3. & Conimbr. licet non adeo clare, loco postea citando: quod omnes, qui rem hanc attingunt, videntur supponere.

14 Insuper difficultas, an simplex emanatio sit propriè, & strictè actio: Refertur Caietanus à nostro Suariorum suprà, n. 3. qui i. p. q. 54. art. 3. hanc emanationem dicit esse naturalem sequelam absque operatione media; non tamen explicat quid sit hæc naturalis sequela, & q. 77. art. 1. circa ad secundum similiter ait hanc emanationem esse per efficientiam sine actione media, & putat esse sententiã D. Thomæ ibid. Semel, & iterum in hac re Caietanum legi, & multa nimis subtilia, vel obscura nimis inuenio, neque sine magna opera posse illius mentem explicari censeo. Nostri Conimbr. absolute negant his emanationibus propriam actionis rationem. Ita lib. 1. de Generat. c. 9. q. 1. art. 4. ad finem, & lib. 7. Physic. c. 1. q. vnicã, art. 2. §. *Sit secunda conclusio*, &c. quod non alia ratione probant, nisi quod passionis, quæ ab anima produciuntur, non ab illa procedunt uti à causa integra, aut principalis; sed tanquam à causa minùs præcipuã, ac velut instrumentum generationis, quod generans ut primaria, & præcellentiore causa eiusmodi potentiarum veluti partum edit. Hæc sunt Conimbricenses verba, quorum ratione non premor.

15 Dicendum est cum P. Suarez suprà, has simplices emanationes esse propriissimè actiones, mediis quibus passionibus procedunt ab essentia, quod in aqua frigiditate per se patet, quia cum frigiditas, & quodlibet aliud esse creatum dependeat à causa necessariò habet aliquam dependentiam, per quam tale ens productum, & illius principium, quodcumque sit, produciens constituatur: quæ dependentia, efficientia dicitur, & actio; neque inter efficientiam, & actionem distinctio aliqua reperiri potest, ut falsò putauit Caietanus affirmans emanationem esse efficientiam, & non actionem: quia sicut inter efficiens, & agens nulla est formalis distinctio, ita neque inter efficientiam constituentem efficiens, & actionem constituentem agens. Posset tantum in dubium vocari: an hæc efficientia, seu passio-num emanatio ab illis distinguatur, necne? Cui respondeo emanationem primarum qualitarum ab illis distinguere: quia eadem qualitas potest produci ab hoc agente, vel non ab hoc, sed ab illo; quod signum est euidentem qualitatem non pendere per seipsam, sed per actionem interiectam à suo principio. De aliis passionibus videlicet potentia intellectiua, & volutiua posset à paritate iudicium ferri. Ego tamen qui potentias has superadditas non admitto, hæc questione non premor in passionibus; quæ de facto existunt: Ad has verò, quæ possibiles sunt respectu substantiarum diuersæ rationis ab his, quæ de facto existunt, amplissimum possibilitatis patet campus. In quo existimo dari potentias, quæ si existerent, per se ipsas dependerent ab essentia; & potentias, quæ per actionem imperfectam ab aliis dimanarent; si enim nulla est repugnantia in potentiis superadditis, neque vlla inueniatur in immediata, vel mediata dependentia harum potentiarum à suis principiis.

PUNCTUM II.

Quid sit viuens in actu primo.

§. I.

Triplex sententia refellitur.

Nonnulli ut se ab hac difficultate expedirent dixere plantas non viuere, & rationem communem viuentibus per modum actus primi in principio cognoscitui constituisse, quod reliquis viuentibus distinctis à plantis, quas ipsi inter viuentes non enumerant, & non aliis conueniunt. Quod si in Deo negetur principium cognoscitui per modum actus primi, eodem modo neganda erit in Deo vita radicalis per modum actus primi. Neque principij volitui in hac definitione meminisse oportet, quia princi-

pium volituum, vel est separabile à cognoscitui, vel non; si non potest separari, idem erit dici principium cognoscitui tantum, ac si volituum exprimeretur: semper enim ex cognitione vnus deuenimus in cognitionem aliis entitatis, quæ ab illa separari nequit. Quod si principium cognoscitui possit à volitui separari, non erit de ratione viuents per modum actus primi principium volituum; quia substantia, in qua separatur volituum à cognoscitui, viuens constitueretur per principium cognoscitui, volitui secluso.

Hæc sententia reiicienda est ex dictis Puncto præcedenti, & Controu. 1. Punct. 2. ubi dixi negari non posse plantas propriè viuere; quam sententiam ex Scriptura, & Patribus ibi statui, à qua tantum voce tenus discedere poterit, qui concedat plantas augeri per intus sumptionem: quod genus operandi non reperitur in igne, neque in aliis agentibus, quæ inanimata dicimus, quodque sancti Patres vitam appellant, præcipuè Augustinus, cuius verba neque interpretationis umbram patiuntur, quibus non tantum docet tanquam veram sententiam, plantas viuere; sed illam ex testimoniis Scripturæ deducit; legantur illius verba relata loco citato, & aliud illustre testimonium D. Dionysij ibi adductum.

Negare non est ausus Arriaga plantas viuere: sed multus in aliorum sententiis impugnandis, conceptum non inuenit communem omnibus viuentibus, quem posset in propria sententia defendere. Quapropter disp. 2. sect. 1. subsect. 4. duplicem vitam distinguit, quamdam physicam, intentionalem aliam: Viuens vita physica illud est, quod se potest per intus sumptionem augere. Hoc genus vitæ commune est plantis, brutis, & hominibus. Viuens vitæ intentionali est principium cognoscitui, & appetitui, quod genus vitæ conuenit omnibus animalibus, Angelis, & Deo. Ex quibus infert plantas tantum viuere vitæ physicæ: animalia omnia viuere vitæ physicæ & intentionali: Angelos, & Deum vitæ tantum intentionali. Affirmat insuper vitæ intentionali, & vitæ physicæ nullum dari conceptum communem: sed nomen vitæ æquiuocum esse respectu vitæ intentionalis, & physicæ. Huius sententiæ nullum potest excogitari fundamentum, præter impugnationem aliarum, quas hucusque tradidit Doctores, & cuiusvis quæ conceptum aliquem assignet communem vitæ physicæ, & intentionali. Quapropter satis impugnatum iri illius auctorem existimo, si conceptum vtriusque vitæ communem assignemus, & illius argumentis satisfaciamus, quod me facillè facturum non despero.

Recentiores alij duplex viuens agnoscunt, quoddam animaticum; cuius vita operatur dependenter à materia, talis est vita plantarum, brutorum, & hominis: quia anima rationalis, licet in statu separationis independentem à materia operetur; dum tamen est vnita corpori dependenter à materia operatur. Aliud est viuens non animaticum, seu abstrahens à materia huiusmodi sunt Angelus, & Deus, imò & anima rationalis, quatenus in statu separationis independentem à materia operatur, potest hoc genere vitæ donari. Vtrumque viuens sic definit: *Viuens animaticum est, quod in suo statu naturali constitutum operatur immanenter cum dependentia à materiali deorganizatione.* Viuens autem abstrahens à materia est, *quod independentem à materiali deorganizatione immanenter se exercet, conuertendo se formaliter ad obiecta.* Ne tempus infumamus in explicando exercitio conuersionis ad obiecta: ad mentem huius recentioris, & iuxta verba præcedentis definitionis potest hoc viuens abstrahens à materia definiri, *quod independentem à deorganizatione accidentalitè est potens cognoscere, & appetere.* In priori definitione viuents animatici addidit particulam illam *in statu naturali*, ut excluderet à ratione actionis vitalis productionem caloris, quam anima immanenter producit dependenter à deorganizatione accidentalitè: quia illum producit dependenter ab vnione, quæ deorganizationem exigit. Non ego particulam hanc ex hoc capite in definitione ponerem, anima enim etsi vnionem petat ad producendum calorem in subiecto, quod informat; non deorganizationem immediatè ad ipsam actionem productiuam caloris exposcit; sed tantum mediare, ex quo titulo poterat productio caloris ab anima procedens excludi à ratione vitalis; quæ posset in exigentia deorganizationis immediatè ad ipsam requiritæ constitui. Posset etiam hæc actio vitalis non recentiori, quia illius terminus immanenter produci non petit.

Expendo in primis, quid recentiores in hac noua sententia inuenierint:

inuenerint. Viuens animaticum vocant, animam, quæ est forma viuentis; & pro hoc viuenti definitionem animæ, paucis mutatis, quæ immutata possent permanere, nobis exhibent, quam per virtutem operandi immanenter dependenter à deorganizatione tradunt, per quam virtutem definitur anima cum dicitur: *Actus corporis physici, & organici potentia vitam habentis*. Vnum erat in hac re difficile, videlicet conceptum commune, Animæ, Angelis, & Deo inuenire; hac difficultate non premuntur aserentes talem conceptum non dari: quo negato difficile non est viuens non animaticum, quod ipsi vocant abstractum à materia definire per principium cognitionis, & volitionis. Neque in hac sententia aliud speciale inuenio, si diligenter euoluatur, licet specie tenus nouitatis splendore appareat illustrata. Peccat insuper hæc opinio, quia difficultati succumbit, & conceptum non inuenisse fateatur, quem assignari totum est huius difficultatis negotium.

§. II.

Duplex sententia reuocatur.

6 **C**ommunis Thomistarum opinio asserit, viuentia à non viuentibus distingui, ex eo quod hæc non habent virtutem se mouendi ab intrinseco; illa verò hac virtute gaudent. Ex qua differentia viuens definitur: *Illud quod ab intrinseco se mouet*. Hanc definitionem reiciunt communiter Doctores, quia grauius, & leuius à principio intrinseco virtutem habent se mouendi; & anima à principio intrinseco suas passiones producit. Respondent Thomistæ, grauius, & leuius, & animam per productionem suarum passionum se mouere in virtute generantis. Cur autem grauius, & leuius per motum localem, & anima per suarum passionum productionem, & non per productionem aliarum operationum virtute generantis moueantur, ipsi non explicant. Quod si explicationem habeat, quam tetigi Punct. 1. n. 12. neque definitione pertingitur, neque adeo est nota omnibus ut illi parcere possimus, vix enim reperitur aliquis qui explicet, quid sit operari in virtute generantis; & ferè omnes ex hoc capite definitionem hanc reiciunt.

7 **M**elius forsitan diceretur, motum grauium, & leuium, & actionem productiuam passionum, non esse immanentes ratione terminorum, & hac ratione non esse vitales: terminum productum per motum grauium, & leuium non petere immanenter produci facile suadet, quia præsentia acquisita motu naturali corporis grauis, vel leuis per actionem immanentem producta, potuit produci per actionem transeuntem à quolibet alio agenti. Difficilius est probare passiones viuentis non petere immanenter produci: potest tamen ad probandum fundamentum desumi ex passionibus aliis, v.g. frigiditatis aquæ, & caloris ignis; quæ ab aliis agentibus producuntur, saltem in gradibus remissis. Quod probat adhuc in gradibus intensis ipsas immanentiam suæ productionis non exigere: quia frigiditas & calor in quocunque gradu sunt eiusdem rationis. Si dicas non licere inferri passionem animæ non exigere productionem immanentem, ex eo quod passio aquæ illam non exigit: sicut non inferitur augmentationem viuentis non exigere immanentiam, quia illam non exigit augmentatio aquæ. Resp. disparem esse rationem: quia augmentatio aquæ, & augmentatio viuentis diuerso modo sunt, vna per intus summationem, alia per iuxta positionem. Productio autem passionum in vtraque substantia eodem modo efficitur.

8 **N**on placet hæc sententia, quia cum nunquam viderimus intellectum hominis productum fuisse ab alio distincto ab ipsa anima, cuius est passio, absque fundamento dicemus ex se esse indifferentem, ut producatur à quocunque alio agenti extrinseco. Calor autem, & frigiditas sæpe videmus à multiplici produci agente: & ideo rectè illis immanentiam exigentiam negamus. Et sicut non licet inferre: calor, qui est passio ignis, naturaliter producitur in extraneo subiecto ab agenti extrinseco: ergo intellectus, qui est passio hominis potest naturaliter produci in extraneo subiecto ab agentis extrinseco: ita non licet inferre: calor qui est passio ignis non petit immanenter produci: ergo neque intellectus, qui est passio hominis, hanc immanentem productionem exposcit. Item non repugnat intellectus per seipsum dependens ab anima, cuius productio secundum identificata ratione termini immanens esset, & tamen non esset vitalis: ergo vitalitas actionis non consistit in immanentia ratione termini.

Ut occurrant argumento, quod ex potentiarum productione petitum est, alij sic viuens definiunt: *quod in sua naturali dispositione constitutum ab intrinseco potest operari aliam per se, & ex conceptu suo immanentem*. Per illam particulam in sua naturali dispositione constitutum, excludunt à ratione vitalitatis passionum productionem: per quam viuens in sua naturali dispositione constituitur. Motus grauium & leuium excluditur per eandem particulam: quia illa in suo statu naturali constituta, rursus non mouentur. Excluditur etiam per illam particulam, *actum ex conceptu suo immanentem*: quia motus localis, quem producunt grauius, & leuius à seipsis, potest etiam produci in ipsis ab alio extrinseco agenti. Hanc definitionem impugnant recentiores: quia ex illa sequitur, non magis esse vitalem actionem nutritiuam viuentium, quam ignis aggenerationem: quia terminus productus per nutritionem ex se non est determinatus, ut producatur immanenter: neque hanc immanentiam exigit ex natura sua, ut patet in generatione, in qua producitur eadem pars formæ, quæ posset per nutritionem produci: illa, quæ modò per nutritionem produci potuit in prima viuentis generatione produci.

Respondent alij: terminum nutritionis potuisse transeuntem produci per generationem respicientem illum diuerso modo, ac illum respicit nutritio: quia generatio fit per commixtionem femininum, & nutritio per intus summationem. Ex quibus modis diuersis, quibus idem terminus producitur, actio essentialiter est diuersa: & vna transeuntis, alia essentialiter immanens. Non omnino acquiesco huius solutioni: quia hic diuersus modus producendi effectus, neque se tenet ex parte principij, neque ex parte termini, neque ex parte actionis; sed tantum est diuersa applicatio materię, seu diuersus modus, quo applicatur materia, ut idem principium nutritiuum, quod est generatiuum eiusdem termini, producat per nutritionem terminum, quem per generationem producere poterat. Hæc autem diuersa determinatio potentie sufficiens non videtur, ut actio sit diuersa sicuti in motu locali in communi sententia, quam ut veram docebimus, motus viuentis ex cognitione procedens, & à volitione imperatus, specie non distinguitur à motu naturaliter producto à principio eiusdem speciei, imò idem numero motus, qui productus est modo cognitione directus, & volitione imperatus, potuit absque ulla cognitione à viuenti procedere: ergo eadem est saltem in specie productio respiciens hunc terminum, ad quam agens determinatur per applicationem materię intus summam, qui potuit procedere ab agenti determinato per applicationem feminis.

Melius existimo posse responderi: actionem nutritiuam ratione termini esse immanentem: quia terminus est non petat absolute immanenter produci, quia non petit vniri composito, seu parti præexistenti: petit tamen immanenter seu per actionem immanentem vniri ex suppositione, quod sit vnendus alij extremo præexistenti: & insuper petit, ex suppositione quod terminus ille solus producatur, vniri præexistenti extremo: quia absolute siue solus per nutritionem, siue cum aliis comparibus per generationem producatur, petit esse illis vnitum: ac proinde semper petit produci vnitum illis, siue simul cum illo productis per eandem actionem transeuntem, siue vnitum produci per actionem necessariò immanentem extremo iam prius productum per aliam actionem, siue immanentem, siue transeuntem. Hac ratione actio nutritiua immanens est ratione termini: quod non habent aliæ actiones, quibus augentur non viuentia. An verò hæc immanentia actioni sit essentialis necne, dicam §. 4. posteaquam propriam explicauero sententiam.

Contra hanc solutionem sic insurgunt recentiores: ignis ex suppositione, quod sit vnendus alij igni, petit vniri principio, à quo producitur: & ex suppositione quod producatur in minori minimo petit vniri alij igni: ergo eadem ratione est immanens ratione termini augmentatio ignis, & augmentatio equi: ergo vel vtraque, vel neutra est vitalis. Resp. dato ignem posse produci in minori minimo: quod in mea sententia, quæ minimum non assignat viuentibus, locum non habet, partem minorè minimo requisito ad conseruationem ignis vnendam esse alij igni; non tamen exigere procedere ab igne, cui est vnenda, sed ex se posse produci tantum ab igni 4, & vniri igni 2: quod si semper procedat ab igne, cui vnitur, non est, quia id exigit ex natura

natura sua, sed quia ignis applicatus ad vniorem terminandam, est etiam applicatus ad producendum ignem sibi vniendum; Quod si Deus suspenderet concursum, ne illum produceret, posset naturaliter talis ignis illi vniendi proci ab alio agente, cui non vniatur. Quod non contingit in nutritione viventium; in qua si vivens augendum non producat partem substantiæ sibi vniendæ, à nullo alio agenti, cui non vniatur, poterit talis pars produci.

13 Fortius sententia hæc posset impugnari ex illa particula, in sua naturali dispositione constitutum. Per illam relegant à numero actionum vitalium huius sententiæ Patroni actiones omnes, per quas vivens in sua naturali dispositione constituitur, in quibus sunt productiones passionum, quæ pertinent ad naturalem constitutionem viventis. Contra quam definitionis partem sic arguunt nonnulli. Intellectio non supponit animam volentem informatam (procedit argumentum positis potentiis superadditis in viventibus saltem possibilibus) quia intellectio non dependet à voluntate: ergo non supponit vivens in sua naturali dispositione constitutum: ergo non est vitalis actio. Hæc obiectio nullius est momenti: quia de ratione actionis vitalis non est procedere à viventi constituto in statu naturali iuxta definitionem prædictam; sed esse distinctam ab illis, per quas vivens in statu naturali constituitur. Vivens enim in actu primo definitur iuxta hanc sententiam illud, quod ultra actiones per quas in naturali dispositione constituitur, potest operari actum ex suo conceptu immanentem. Et ita in ratione viventis constituitur in ordine ad actiones distinctas ab illis, per quas constituitur in naturali dispositione, licet non illarum quælibet hanc dispositionem adequatam supponat.

14 Aliter contra hanc sententiam argumentor. Demus vivens, cui à primo instanti suæ productionis debita sit cognitio alicuius obiecti, sicuti de facto debita esse Angelo, censent plures Theologi. Hæc actio pertinebit ad naturalem constitutionem viventis; & erit vitalis: ergo non est de ratione actionis vitalis, esse distinctam ab aliis, per quas vivens in sua naturali dispositione constituitur; neque vivens solum potest constitui in ordine ad actiones distinctas ab illis; per quas in sua naturali dispositione constituitur; sed etiam in ordine ad illas, per quas in tali naturali dispositione constituitur. Negare non poteris talem actionem esse vitalem: est enim rarum omnibus Theologis, ac philosophis omnem substantiam cognoscentem constitui viventem per ordinem ad cognitionem, & omnem cognitionem vitalem esse. Si dicas talem cognitionem non pertinere ad naturalem dispositionem; inquiri: quidnam sit pertinere ad naturalem constitutionem: illud intelligimus ad illam pertinere, quod debitum est substantiæ à primo instanti generationis; sed illa cognitio talis esset: ergo esset constitutiva viventis in sua naturali dispositione. Dices id pertinere ad naturalem constitutionem, quod viventi debetur à prima generatione per modum habitus, non verò per modum actus. Sed inquiri quid sit debitum esse per modum habitus? & quod per modum actus? quod facile cuique cernitur, & difficile ab aliquo discernitur.

15 Vergeo. Demus substantiam creatam per se ipsam cognoscentem, & per cognitionem sui, aliudve obiecti constitutam: illa cognitio constitutiva substantiæ pertinebit ad naturalem constitutionem illius; & tamen erit vitalis: ergo non est de ratione actionis vitalis esse distinctam ab illa, per quam vivens constituitur in sua naturali dispositione. Quid enim magis pertinet ad naturalem constitutionem viventis quam illud, quod ad sui constitutionem spectat? Respondebis forsan implicare talem substantiam; quod valde probabile cenfeo: quod si dicas, ad alia argumenta recurrat, hoc enim tantum adduco contra illos, qui substantiam hæc possibilem esse fatentur, & contra te argumentum vergeo in Deo. Essentiam Dei communis Theologorum sententia constituit in cognitione: hæc cognitio pertinet ad naturalem constitutionem Dei, & est vitalis: ergo non est de ratione operationis vitalis esse distinctam ab illis, per quas vivens constituitur in sua naturali dispositione. Hæc argumenta petita ex cognitione debita naturæ à prima sui conditione, & ex cognitione identificata cum ipsa, sunt præcipua in hac materia, quibus impugnantur plures de hac re sententiæ.

16 **A**lij sapientissimi recentiores sic vivens definiunt: Vivens est, quod ultra complementum in esse substantiali, & virtutis operativæ, determinatum est ad producendum in se perfectionem, aut terminum, qui naturaliter ab extrinseco non potest produci. Hanc definitionem impugnant recentiores, ex eo quod nutritionis terminus potest naturaliter ab extrinseco produci. Cui argumento feci satis supra, ubi explicui quomodo nutritionis terminus petat immanenter produci. Arguunt secundò: à ratione actus vitalis excluditur id quod complet substantiam viventis in virtute operativæ: sed cognitio complet substantiam animæ in ratione operativæ volitionis, quia cognitio necessarîo prærequiritur ad productionem volitionis: ergo cognitio non est vitalis. Respondebunt recentiores: cognitionem non pertinere ad virtutem productivam volitionis: sed tantum se habere ut conditionem: ac proinde non complere animam in ratione virtutis operativæ; & ex hoc capite non illi vitalitatem repugnare.

17 Arguunt tertio contra eandem sententiam: Intellectio, & volitio producant habitus in anima, & species impressas: ergo complent illam in ratione virtutis operativæ: ergo non sunt vitales. Primum antecedens admittunt omnes, siue habitus ab speciebus distinguantur, siue non. Prior consequutio probatur: ideo intellectus complet virtutem operativam animæ, quia producit intellectiorem in anima: cognitio, & volitio producant habitus, & species in anima: ergo complent illius virtutem operativam. Posterior consequutio priori admixta constans est. Deinde intellectio & volitio producant habitus, & species, quibus anima actiue operatur: ergo complent virtutem actiivam animæ producendo in illa virtutes, quibus anima actiue operatur: ergo non est vitalis.

18 Respondeo pro hac sententia ad id quod ultimò obijciebatur, non esse contra rationem actus vitalis complere actiivatem animæ producendo aliquid, quo anima actiue operetur, & illius actiivitas compleatur; quod est illius actiivatem complere actiue, & non formaliter; sed tantum excludi à ratione actionis vitalis id quod complet formaliter per modum virtutis actiivæ, immediate per se formaliter completis virtutem actiivam animæ. Ad illud, quod primò obijciebatur de productione specierum, & habituum in anima. Responde per principia productiva specierum, & habituum, ad quorum productionem non concurrat anima, non complere formaliter illius actiivatem, quia ad hanc non pertinet id cuius ipsa non est causa immediata; sed per intellectum, per quem completur actiivitas animæ respectu intellectiōis, quæ ipsa producit. Sic in voluntate, & in aliis potentis. Ad argumentum in forma, Resp. Intellectus ideo complet actiivatem animæ, quia producit intellectiōem in anima per modum principij adiuvantis animam ad talem productionem; concedo: quia producit per modum cause totalis sine concursu animæ, nego. Sed cognitio producit species, & habitus in anima per modum principij adiuvantis animam ad talem productionem, nego: per modum cause adequatæ concurrētis ad productiones habituum & specierum sine concursu animæ; concedo: ergo intellectio complet actiivatem animæ, eo modo, quo illam complet intellectus: nego consequentiam.

19 Fortius hanc sententiam & efficaciter ad hominem impugno ex sensatione materiali interna; quæ in opinione huius auctoris cōcurrit cum animo rationali in genere causæ efficientis ad speciem expressam intellectus, seu ad intellectiōem producendam: ac proinde illius actiivatem compler in ordine ad hunc effectum, & iuxta hanc definitionem ex numero actionum vitalium ex hoc capite esset abolenda, quod absurdum est. Ne videar tantum in opinione asserente phantasma immediate concurrere ad intellectiōem hanc sententiā impugnasse, quod ad illius auctoris impugnationem, qui illam amplectitur, sufficiens esset: Do phantasma non speciem expressam immediate; sed impressam in intellectu producere: & opinionem receptissimam desumo illorum, qui asserunt potentias non distingui ab anima, qui intellectum tam agentem quam passibilem ab ipsa anima non distinguunt. Phantasma concurrat cum intellectu agente identificato cum ipsa anima ad speciem impressam

impressam spiritualement in anima producendam: ergo complet virtutem illius in ordine ad hunc effectum: ergo non est vitalis. Quia per se id quod complet formaliter virtutem animæ, vitale non est.

20 Non respondebis phantasma seu sensationem externam non complere animam in ratione vitalis, ne principium petas; sed forsitan respondebis non complere animam in ratione principij immanenter operantis, sicut illam complet intellectus, qui immanenter operatur. Phantasma enim, licet cum anima effectum producat, talis effectus immanens non est respectu phantasmatis. Contra hanc solutionem sic arguuntur. Probabilis est multorum opinio, quam vt veram tradam Controuers. sequenti Punct. 1. actus vitales, videlicet intellectionem, & volitionem, subiectari adæquate in anima, etiamsi detur potentia intellectiua superaddita: ergo si requiritur, vt aliquod excludatur à ratione effectus vitalis, non solum complere actiuitatem viuentis; sed illam complere per modum principij immanenter operantis, productio potentie intellectiue, quæ non nisi ab anima produci potest, & immanenter producitur, non excluditur à ratione actionis vitalis: quia illius terminus non complet virtutem actiuiam animæ per modum principij immanenter operantis. Si dicas potentiam intellectiuiam immanenter operari, quod fasum esse probabo loco supra citato; obiciam animam possibilem, cum potentia, quæ tantum illam iuuat ad efficiendum, & sui effectus principium non sit passiuum, in qua est eadem difficultas: procedit enim hæc questio de omni viuenti, & de omni generali actione existenti, & possibili. Neque fundamentum aliquod probabili negare poteris possibilem animam, seu viuens prædium huiusmodi potentis factiuis, & non passiuus suarum operationum.

21 Alio modo respondere posses: duo requiri, vt terminus, qui non potest nisi immanenter produci à suo principio, vitalis non sit; & complere virtutem actiuiam subiecti respectu cuius immanens est; & esse debitum in primo instanti generationis: phantasma verò, etsi virtutem actiuiam animæ compleat, non tamen est debitum animæ in primo instanti generationis; & ita non potest excludi à ratione vitalis. Eufugium præcludo in anima rationali possibili, cui debita sit in primo instanti, in quo corpori infunditur sensatio interna; & spiritualis cognitio ab hac sensatione procedens, quam animam possibilem esse, nullo fundamento negare poteris.

22 Desumenda est impugnatio contra hanc sententiam, quam contra præcedentem ex cognitione diuina pertinente ad constitutum Dei expendebam, cui adhuc ex principiis huius auctoris nonnulla poterat esse solutio. Potest enim dici essentiam diuinam non constitui per cognitionem; sed per principium virtualiter productiuium cognitionis: quæ licet realiter identificetur cum essentia, & cum principio, quod supponit, virtualiter ab illa distinguitur. Contra hanc solutionem sic arguerem: In Deo cognitio diuina supponit principium virtualiter productiuium illius: ergo æternitas, & immensitas supponunt simul principium virtuale: ergo immensitas, per quam Deus est vbique; & æternitas, per quam est in omni tempore, sunt productæ per actionem vitalem virtualiter distinctam à suo principio; ergo illa actio est æquæ vitalis, ac ipsa cognitio Dei. Probo consequentiam: illa actio supponit essentiam diuinam completam in suo esse, & in ratione virtutis operatiue: insuper illius terminus non potest ab extrinseco produci, vt per se patet, quia nullum est agens distinctum à Deo, quod neque formaliter, neque eminenter possit immensitatem, & æternitatem Dei producere: ergo est vitalis. Fugiet hic auctor, si dicat cognitionem diuinam importare productionem virtutem sui: secus æternitatem, & immensitatem: quibus non importatur neque virtualis ipsarum productio; cuius disparitatis rationem aliquam inuenire difficile non esset.

23 Ad aliud argumentum petum ex creatura, quæ per semetipsam sit identificata cum cognitione, quod hanc sententiam sicuti præcedentem impugnat, responderem ego, pro hac sententia talem creaturam repugnare, quia de ratione cognitionis est esse actionem cognoscitiui tenentis se per modum productiui principij: nihil autem creatum potest esse principium productiuium formale rei secum identificata, neque virtuale, quia principium virtuale, seu virtualiter productiuium dicit virtutem distinctionem à productione. In creaturis autem non potest admitti hæc

virtualis distinctio respectu illorum, quæ realiter sunt idem: quia hæc in Deo tantum admittitur propter suam immutabilitatem, ad illa defendenda, quæ nostrum caput superius, quæque fide diuina tenemur confiteri; in creaturis autem hæc sacramenta confingere nefas est. Si enim semel admittantur, misterium Trinitatis quod in Deo fide fatemur, & tanquam inscrutabile imbecillæ hominum menti reuermur, poterit in pura creatura defendi: admissa enim virtuali distinctione quicquid est difficile hominum menti, & in mysterio arcanum, in pura creatura deuoratum esset; quod certè cuiusque malè verteret.

Reicienda est hæc sententia præcipue propter argumentum factum de phantasmate concurrente cum ipsa anima ad speciem expressam producendam; & ne tam cito implicemur virtuali distinctione ad vitalitatem in Deo defendendam, neque cogamur deserere opinionem, quam plurimi Theologi bonæ notæ defendunt; videlicet essentiam diuinam per cognitionem constitui.

§. IV.

Propria sententia.

Incipias ibit nemo, qui de hac re auctores consulerit; in mentem omnium antiquorum fuisse, illud esse viuens, quod seipsum mouet; & ita viuens definitur: *quod constitutum in suo esse naturali, immanenter operatur*; actiones enim per quas viuens in suo esse naturali constituitur, in primo suæ generationis instanti exercentur, & per illas viuens nullam subit mutationem, à numero vitalium excluduntur. Hac ratione Aristoteles 2. de Celo, Dei vitam per motum definiuit his verbis: *Dei operatio immortalis est: hoc autem est vita sempiterna. Frague necesse est motum sempiternum Deo inesse. Quæ verba intelligenda non sunt de motu propriè dicto; sed de operatione Deo identificata, per quam Deus ab æterno cognoscitur, n' quia illius vita cõstitit, iuxta illud Ioannis 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscatur Deus verum.* Quæ explicatio est iuxta mentem Philosophi; qui sæpe nomine motus actionem significat: & interpretatur ex lib. 12. metaph. text. 51. vbi fatetur Deum esse immortalem. Eodem modo vitam Dei definiuit Plato per motum; quo ipse se mouet: sic apud D. Thomam 1. p. q. 84. art. 3. quem ipse Angelicus Doctor de operatione interna non habente rationem mutationis explicat: D. Bernardus lib. de Libero arbitrio sic vitam definiuit: *Vita est interna, & naturalis motus, tantum vigens intrinsece.* Huic eodem explicatio adhibenda, vt hæc definitio Deo possit conuenire. Legendi sunt ex Antiquis Alexander 2. p. q. 90. 91. & 92. Henricus art. 29. quest. 1. Ex modernis eodem modo vitam definiunt fere omnes: Toletus lib. 2. de anima cap. 1. ex. 3. *Vita dicitur motus, vt procedunt à principio interno ipsius corporis naturalis.* P. Dor. Ludouicus de Molina 1. p. q. 84. disp. vnica §. questio ergo proposita, hæc scribit: *Sola viuens dicitur quæ constituta in sua naturali dispositione, sit ab interno principio mouent.* P. Suarez lib. 1. de anima cap. 2. n. 26. & 27. per eundem motum vitam definit: & tom. 1. Metaphys. disp. 30. sect. 14. n. 14. sic vitam explicat. Sumitur ergo viuens, vt de Deo dicitur (& quoad hoc idem & cum Angelis) prout commune est, & transcendens ad omnes gradus vitæ, quatenus omnes illi in hoc conueniunt, quod ab intrinseco operantur in suo connaturali, & perfectio statu. Nullum ex antiquis inueni, qui conceptum vitæ alio modo explicaret. Omnes enim per internum motum vitam definiunt; & nihil aliud viuere in actu secundo appellam, quàm se mouere; ex quo ad aquas metaphora fuit translata, & fluentem aquam viuum vocamus; stagnantemque emortuum: vnde Poëta:

—Donec me flumine viuo

Abluam.

Et metallum illud, quod se mouet, vulgo *argenteum*, argentum viuum vocamus. Ex quo infero nefas esse negare rectè hucvique vitam antiquos definiisse per hunc modum; quod facillè probatur. Omnia viuientia, quæ cognoscimus postquam sunt constituta in suo esse naturali immanenter se mouent, seu operantur, & nullum aliud distinctum à viuentibus exercet has operationes: ergo hæc definitio conuenit viuentibus, & non aliis: ergo rectè conceptum viuientis explicat. Quod obici potest de igne argente se, solutum est iam ex dictis Punct. 1. vbi probauit actionem hanc non esse immanentem ratione sui terminum; quam immanentiam nutritioni viuientium competere ibidem explicui.

explicui, & rursus explicabo. Aliud argumentum, quod sumitur ex constituto Dei per suam cognitionem non probat hanc definitionem irritam esse: adhuc enim Deus constitutus per cognitionem sui, potest immanenter operari cognoscendo alia obiecta. Idem dicerem de quacunque creatura, quæ per suam entitatem se ipsam cognosceret, quæ posset in alia obiecta tendere per cognitionem, quæ supponeret suam substantiam constitutam. Si obiciamus secundum hanc definitionem cognitionem constitutam Dei vitalem non esse: quia per ordinem ad illam non traditur definitio viuientis: pro antiquorum Scholis antecedens negabo. Non enim ratio viuientis in actu primo debet explicari per ordinem ad omnes vitales actiones: neque vitium definitionis est rem non explicare per conceptum quidditativum adequatum, & essentialem: sæpe enim plura per passionem, & accidentia definimus: mens autem antiquorum non fuit actioes vitales definire, sed viuientia: quæ omnia sua definitione comprehendebant, non curantes, an viuientia explicarent per ordinem ad omnes operationes vitales an per ordinem ad aliquas, quia hoc non erat eorum iniliturum, quibus tantum ea mens fuit, ut aliquid proprium viuientibus assignarent, quod illis tantum conveniret, & aliis commune non esset, per quod viuientia à non viuientibus secererent.

16 Prolixior alia inter nostros recentiores suborta est disputatio: scilicet, quis sit conceptus ille communis, & essentialis, in quem omnia viuientia conspiciant: qui vitas omnes actuales, seu actiones omnes vitales respiciat? Et quid sit conceptus communis, in quem conveniunt vitales omnes actiones, & per quem primò, & essentialiter constituitur? Quam questionem apud antiquos sedula diligentia quæsit: & adeo strictis terminis apud nullum inveni: omnes enim contenti erant dum modo supra explicato definebant. Hæc non distinguille occasio fuit, ut Doctores antiquos plures recentiores abique defectu impugnant: & eorum definitionem immerito reiecerint.

27 Accedo iam ad subtiliorem questionem: & viuens in actu primo iuxta propriam sententiam sic definio: *Viuens est illud, quod ultra simplices emanationes, actionem ex conceptu essentiali immanentem exercet.* Quid sit simplex emanatio, explicui Punct. I. num. I. Ne tamen in hac definitione explanationem aliquam desideres, etiam longiorem aliam institui aliam exhibeo in quo explanationem simplicis emanationis inuoluo: *Viuens in actu primo est illud, quod est principium actionis ex sua essentia immanens, quæ supponat aliud præter purum actiū, & passivum principium illius respectu cuius immanens dicitur.* Hæc definitio omnibus viventibus in actu primo convenit: & datur per ordinem ad omnes actiones vitales, quæ vitam in actu primo supponunt, ad quas tantum dicit ordinem viuens in actu primo: non enim definiendum est viuens in actu primo per operationem vitalem, quæ nullum principium supponat, neque aliquem primū actum, sicuti in multorum sententia est cognitio Dei, quæ se ipsū cognoscit. Dari per ordinem ad omnes actiones vitales supponentes actum primū, sic probō. Actiones vitales, quas Philosophia novit, clauduntur intellectiōe, volitione, sensatione internā, & externā, & nutritione. Has omnes ex sua essentia esse immanentes commune est inter omnes Philosophos: & in omnibus à nutritione distinctis difficultate vacat: & nutritionem autem talem esse probasse dixi, & probaturum promisi supra. Nullam ex his actionibus esse simplicem emanationem, omneque supponere aliud præter principium actiū, & passivum purum, respectu cuius immanentes dicuntur, probabo, facillè discurrendo per singula. Nutritio præter viuens, respectu cuius immanens dicitur, supponit materiam alimentī, & ex pluribus aliis alterationibus procedit, & ita simplex emanatio dici nequit, & aliud supponit præter purum principium actiū, & passivum illius, respectu cuius immanens dicitur. Sensatio externa indiget specie impressa, & præsentia obiecti, non tamen immanens dicitur respectu speciei, neque respectu obiecti. Sensatio interna sensationem externam supponit, quā ratione excluditur etiam à ratione simplicis emanationis, & requirit aliquid præter purum principium illius, respectu cuius immanens dicitur. Volitio intellectiōem supponit cui immanens non est. Intellectio eodem modo speciem impressam prærequirit.

28 Obicies: Potest dari substantia, quæ sine consortio speciei superaddita in primo instanti suæ productionis cognitionem producat, ergo illa cognitio procedet per simpli-

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. I. I.

cem emanationem: ergo non erit vitalis. Resp. concessio primo antecedenti, negando consequentiam: quia adhuc illa cognitio producta à substantia, cui est immanens, sine specie, aut alio comprincipio, supponeret necessariò subiectum, respectu cuius dicitur immanens, gerens vices obiecti, & concurrrens loco speciei: ac proinde non supponet purum principium actiū, & passivum illius. Illa enim substantia, quæ sine specie produceret cognitionem, maiorem concursum exhiberet, quàm alia, quæ simul cum specie cognitionem produceret, quia concurreret eodem modo, ac reliquæ substantiæ concurrunt ad suas cognitiones exercendas: & concurreret specialiter loco speciei: cuius concursus, etsi actiū sit, ex parte obiecti se tenere dici-mus: ac proinde non est concursus purè actiū, seu principij puri actiū, sed tenentis se ex parte obiecti cogniti.

29 Ex immanentibus actionibus quæ vitales non sunt, solū passionum productiones questionem difficilem reddunt: quas à ratione actionum vitalium excludi iuxta aliorū definitiones facile non est: in mea tamen sententia facillè determinantur. Omnes enim per simplicem emanationem procedunt & tantum supponunt principium actiū, & passivum illorum, respectu quorum, & in quibus immanentes dicuntur, intellectus enim & voluntas, si accidentia sint superaddita, tantum supponunt nudā animæ entitatē, cui sunt immanentes. Maior poterat esse difficultas de potentia visiva, & reliquis materialibus, quæ ab anima oriuntur, & supponunt materiam, vel quantitatem, in qua subiectantur, ex quo videtur inferri potentias has supponere principium aliud passivum præter illud, respectu quorum sunt immanentes: Sed adhuc in his potentiis rectè subsistit mea definitio, quæ nullo modo illas amplectitur. Rem ita cōpono: Potentiæ materiales immanentes non sunt respectu animæ præcisè sumptæ, sed respectu animæ, ut informatis, vel ut actu vitæ materiæ: quia, ut mihi probat obiectio, non recipiuntur in anima secundum se sumptæ: sed in aliquo pertinenti ad compositum, cuius anima est forma, hoc poterit esse materia, vel quantitas, secundum diversas opiniones. Si subiectentur in materia tantum, supponunt concursum effectivum animæ, & passivum materiæ, respectu quarum, ut vitæ inter se, & non respectu alterius immanentes sunt: ac proinde, etsi materiam supponant, tantum supponunt principium actiū, & passivum illius principij, cui immanentes dicuntur. Posset etiam dici non esse immanentes respectu animæ tantum, ut vitæ materiæ: sed etiam, ut vitæ materiæ quantificatæ: & ita etiam supponant materiam quantificatam, tantum supponunt illud principium, cui sunt immanentes. Placet tamen facillè respondere potentiam visivam ortam ab anima, & in quantitate receptam propriè non esse immanentem: quia non recipitur in principio, à quo fuit, neque in aliquo, cū quo principium vnum constituat: neque quod se habeat, ut compars constituens vnum per se cum principio, à quo tales actiones dimanant, ex anima enim, & quantitate non fit vnum totum per se, neque adhuc accidentale: quia neque se habent quantitas, & anima, tanquam partes integrantes totius; neque tanquam subiectum, & forma compositi substantialis, aut accidentalis.

30 Obiic. sequi ex hac doctrina, actus potentiarū materialium non esse vitales, quia in cōmuni sententia recipiuntur in quantitate, vel in potentia, à qua fluunt. Resp. posse defendi immanentiam harū sensationū, asserendo subiectari in materia, & non in quantitate, neque in potentiis, à quibus fluunt, nisi saltē inadquātè: ita ut semper in materia subiectentur, ut immanentia retineant, quæ exigunt ratione vitalitatis. Ego tamē aliter defendo immanentia horū actuum per unionem immediatā ad animam rationalem, quam informant, etsi in quantitate, vel in materia recipiantur. Quam informationem non habent potentiæ: quia ad hoc, ut potentia concurrat cum anima ad actum producendum, necessarium non est, ut illam informet, sicuti necessarium est, visionem informare animam, ut illam videntē constituat.

31 Obiicies. Potentiæ materiales animæ rationalis supponunt deorganizationem subiecti: ergo iam productio aliquid aliud supponit præter illud, cuius sunt immanentes. Antecedens probatur: quia si non supponeret hanc deorganizationem, anima hominis, & bruti potentiam visivam in calce produceret. Respondeo potentias nullam supponere deorganizationem in subiecto: sed hanc tantum requiri ad illarum actus: qui tantum exercentur à potentia existente in toto corpore, in illa parte subiecti, quæ

D

deorganiza

deorganizationem habet requisitam ad illos. Ad confirmationem. Respondeo admittendo consequens illatum, in quo nullum est absurdum. Quia sicut non est inconueniens in bruto partem animæ potentem elicere visionem informare calcem: ex cuius materia non potest elicere visionem: sic inconueniens non est, partem potentia visuæ existeri in eadem parte calcis. Neque inutilis est hæc visiva potentia dispersa per totum corpus: ostendam enim Contr. 3. Punct. 1. totam illam, & totam animam diuisibilem bruti, secundum omnes sui partes, concurrere ad sensationem exercitam in quacunque corporis parte. Actiones productiuas caloris, saporis, & aliarum qualitatuum, quæ sunt ex primarum temperamento, ostendi iam Punct. 1. propriè non esse immanentes, ac proinde non est cur detineamur in illis relegandis à ratione actionum vitalium.

32 Ex his nota est in mea sententia definitio omniū actionum vitalium, quæ vitam in actu primo supponunt, videlicet: *Operatio immanens ex conceptu essentiali, quæ aliquid aliud supponit præter principium actuum, & passuum illius, cui immanens dicitur.* Quam definitionem omnibus competere probauit discurrendo per singulas operationes vitales; quod supra feci. Hæc definitio conuenit etiam operationibus vitalibus Dei, si ex suo formali conceptu actuum primum supponant. Quia, si in Deo concipiatur potentia realis intellectiua identificata realiter cum actu, etiam debet supponi species, vel ipsa essentia diuina gerens vires illius: ac proinde aliquid aliud supponit operatio diuina formaliter distinctum ab illa, præter formalitatem potentia intellectiua virtualiter, et si non formaliter productiuæ, & receptiue operationis, secum realiter identificata. Si verò intellectio diuina nullum actum primum supponat, Deus non dicitur viuens per modum actus primi: sed per modum actus secundi: qui secundus non dicitur respectu primi: sed quia est vltimus in linea vitalitatis; seu quia nullus est post illum in tali linea.

33 Si dicamus Deum primò constitui per operationem vitalem: & admittamus possibilem esse creaturam per se ipsam cognoscentem, nõ admissa distinctione virtuali in tali creatura, alia vniuersalior definitio tradenda est, quæ comprehendat has operationes vitales, quæ vitam in actu primo non supponunt: & illas, quas vita in actu primo præcedit. Sic conceptum vniuersalissimum vitalis actionis Deo, & creaturis communem definitio. *Operatio distincta à simplici emanatione, ex sua essentia immanens respectu intentionaliter operantis.* Alio modo: *operatio non supponens purum principium actuum, & passuum operantis intentionaliter, cui immanens est.* Vtraque definitio conuenit operationi vitali Dei, quæ si primum constitutum est illius, non potest esse simplex emanatio: & ex conceptu essentiali immanens est: & ita prior definitio rectè conuenit tam actioni vitali diuinæ, quam creatæ. Posterior etiam omnibus conuenit: quia operatio vitalis, quæ principium supponit, non supponit solū principium actuum, & passuum illius, cui immanens est: sed etiam obiectum, seu species: Operatio verò constitutiva Dei nullum principium supponit, & ita non supponit purum principium actuum, & passuum: quia supponere purum principium actuum, & passuum, duo dicit, supponere actuum, & passuum: & nullum aliud supponere. Et ita quocunque ex his deficiente, rectè dicitur non supponere purum principium actuum, & passuum. Operatio vitalis identificata cum entitate operante, cognitio videlicet identificata cum cognoscente: non supponit principium actuum; neque passuum illius, cui sit immanens: ergo est operatio immanens non supponens purum principium illius, cui est immanens: ergo illi conuenit definitio à me tradita.

PUNCTUM III.

Quæ sint viuentia in actu primo, quæ in actu secundo, vbi immanentia nutritionis explicatur.

1. Atè de hac re agit Arriaga sect. 2. Breuiter ego quidquid de illa apud ipsum, & alios legi, & quod iuxta mea principia dicendum sit, paucis aperiam.
2. Animas viuentium, Angelos, & Deum (si in ipso detur actus primus intelligendi, & amandi) esse viuentia in actu primo, nullus in quæstionem vocat. Potentias vitales, si

animo dentur superaddite, vitam accidentalem communiter ferè omnes appellant: à quorum loquendi modo non discedo: tantillum tamen rem harum vocum magis euoluo. Potentia vitalis, v. g. intellectus, potest vitalis dici vitalitate propria, & formali primò, & per se illi conuenienti. Alio modo vitalis potest appellari vitalitate animæ, cuius est passio, & affectio, à qua procedit, ad quam iuuandam ad exercitium suarum actionum ab ipsa producitur, in qua subiectatur, si proportionata sit cum illa in ratione materialis, vel spiritualis. Hæc secundà vitalitate potentias animo superadditas potiri, certum est: quod sufficit vt vitales vulgo sint appellatæ. Priorem, & strictiorem, vitalitatem illis competere in dubium verto. Duplex de hac re est inter recentiores sententia: prima affirmat, vitales actus non solùm produci à potentiis: sed etiam recipi in ipsis: & ipsum intellectum, non solùm producere intellectionem esse anima: sed esse formaliter intelligentem. Secundum hanc sententiam, potentia animo superaddite propriam vitalitatem participant: sunt enim principia actionum extrinsecus sentia immanentium, respectu ipsarum potentiarum. Alia sententia, quam ego vt veriorē amplectar Controv. sequenti tenet actus vitales non subiectari in his potentiis: sed in anima, si eiusdem sit rationis cum illis in ratione materialis, vel spiritualis: vel si diuersæ sit rationis, sicuti sensatio materialis respectu animæ spiritualis, in materia vel in quantitate. Secundum hanc sententiam affirmo, potentias superadditas non habere propriam vitalitatem: sed vitales dici tantum animæ vitalitate, cuius sunt potentia. Ratio hæc est, Actus vitales non sunt immanentes respectu potentiarum: ergo non proueniunt ab illis formaliter, vt à vita: ergo respectu illarum non dicuntur per se, & formaliter vita: ergo non habent propriam, ipsique intrinsecè vitalitatem. Primum antecedens supponimus, iuxta sententiam, in qua conclusio traditur. Prior illatio certissima est, quia vita formaliter, vt talis, est principium actionis immanens respectu ipsius. Posteriores illationes sunt per se notæ.

Speciebus impressis, habitibus infusis, & acquisitis, & cuiuscunque alij principio distincto ab ipsa substantia viuentis, & à potentiis, de quibus iam quid dicendum sit, explicui, vitalitatis rationem denego. Probat aliqui hanc conclusionem, ex eo quod species, & habitus non petant vnionem ad substantiam viuentis, vt cum illa concurrant ad vitales actiones: ex quo capite illis denegant exigentiam immanenter operandi. Non placet hæc ratio: quia ex principio nimis dubio conclusionem inter omnes indubitatam probat: est enim indubitatum specie impressam, & habitum non esse vitam: & est valde dubium, præcipue de habitibus infusis, an exigat inhærentiam & vnionem in anima, vt cum illa suas operationes producat. Modum immanenter operandi, & consequenter vitalitatem his entitatibus denego: quia actus vitales non inhærent, neque vnionem intellectui, neque alicui, cum quo ipse totum substantiale constituit. Non inhærent, neque vniri actiones vitales speciebus, neque habitibus fatentur omnes: non alicui vniri, cum quo species, vel habitus vnium totum essentialie constituant, per se patet, quia species, & habitus sunt accidentia respectu animæ, & respectu cuiusque subiecti, cui inhærent dicuntur: & nulla forma potest constituere totum essentialie cum subiecto, respectu cuius ipsa accidens est. Requirit ad propriam immanentiā inhærentiam, vel vnionem cum principio productiuo, vel cum aliquo, quod se habeat per modum co-partis in ordine ad totum substantiale dixi Punct. 1. Quod si contendas, me gratis hoc ad immanentiam requirentem de voce contendamus, tibi dabo immanentem esse actionem receptam in comparte principij respectu totius accidentalis: non tamen mihi negabis strictiorem esse immanentiam in ordine ad compartem, non cuiusque totius: sed substantialis, quam immanentiam ad vitalitatem expolco.

De vita in actu secundo, dixi sæpè conuenire omni intellectioni, volitioni, & sensationi, necnon nutritioni: cuius immanentiam me explicaturum promisi: quod iam exhibeo, vt illius maneat vitalitas inconcussa. In nutritione produciatur pars modi vnionis essentialis inter formam alimentum, & partem formæ denuò productæ, vel formæ antiquam denuò materiam informantem: & vnio integralis inter partem vnionis essentialis denuò productæ, & vnionem præexistentem: & in nutritione viuentium, quæ habet formas diuisibiles, produciatur pars formæ, & vnio ipsius ad formam antiquam. Harum omnium actionum vitalitas examinanda, ne tamen terminorum multiplicatione res obtenebreat,

obtenebrefcat, agam de productione partis formæ bruto. rum, & de productione vnionis huius partis cū forma antiqua: & quod de his actionibus dixerō, dictum puta de productione nouæ vnionis essentialis, & de productione vnionis integralis huius partis vnionis productæ cum antiqua.

Immanentiam vtrique actioni contendunt aliqui negare, quia illorum termini possunt à Deo per actionem transirentem produci. Ex quo inferunt has actiones non habere maiorem immanentiam, quam habet actio, quæ augeatur ignis per conuersionem ligni in propriam substantiam. Facile est respondere terminum nutritionis in viuentibus petere produci immanentem ab ipsa forma, cui vnitur, licet supernaturaliter possit transirentem produci; terminum vero augmentationis ignis æquè naturaliter respectu sui produci à Deo, quàm ab alio igne. Sed do terminum nutritionis viuentis esse ex se indifferentem, vt producat à Deo, vel à causa secunda: hoc non obstante, actio, quæ viuens se nutrit, ex sua essentia immanentiam habet, quam non habet actio, quæ se ignis augeat: quia actio sumit essentiam à termino, & à principio, & non potest terminus nutritionis produci à principio eiusdem speciei cum viuenti, cui vnitur, per actionem transirentem, neque inter hunc terminum vnendum alteri extremo eiusdem speciei, vt explicui, & hoc principium in specie potest esse actio transiens, quæ potest esse inter terminum augmentationis ignis vnendum alteri extremo, & inter aliud principium eiusdem speciei cum igne augente se, quia, vt dixi loco citato, augmentatio huius ignis potest ab illo igne eiusdem speciei cum isto prouenire: & augmentatio huius viuentis non potest prouenire ab illo viuenti eiusdem speciei cum illo.

De actione vnitiua partis formæ denuò productæ cum forma antiqua, affirmant omnes qui rem hanc attingunt, esse per se, & essentialiter immanentem: & hanc immanentiam negant productioni partis formæ antiquæ, quia hæc facit de potentia Dei absoluta posset produci ab hoc principio, sine vnione ad illud. Vnio autē ipsius principij ad aliam partem formæ denuò productæ implicat non produci per se ipsam vnitam. Res videtur ex ipsis terminis perspicua, verum tamen profundius penetrandam esse existimo. Sic argumentor: Vnio huius principij cum parte formæ denuò productæ est eiusdem speciei cum aliis vnionibus, quas includit pars formæ denuò productæ, quibus vnuntur partes, in quas ipsa diuisibilis est, vt per se patet: nullus enim dicere potest non esse eiusdem speciei vniones, quibus vnuntur partes integrantes partis formæ denuò productæ cum vnione, quæ ipsa integraliter vnitur formæ præexistenti: ergo hoc non solam speciem, sed etiam numero principium potest producere vniones illas inclusas in parte formæ denuò productæ: ergo potest producere terminum eiusdem speciei cū vnione ipsius ad partem formæ denuò productam: ergo hæc actio non habet immanentiam ex principio in ordine ad hanc rationem specificam: sed tantum in ordine ad rationem individuale: ergo etiam per se ipsam ratione differentie individualis habet immanentiam, non illā habet per se ipsam ratione differentie specificæ: ergo ex conceptu specifico, & essentiali non magis immanens est productio illius vnionis, quàm productio partis formæ proueniens ab eodem principio, & respicientis in parte formæ productæ alias vniones eiusdem speciei cum ista: ergo hæc vnionis productio non magis dicenda est essentialiter immanens, quàm productio partis formæ, in qua vniones eiusdem speciei includuntur, licet productio huius numero vnionis ab hoc numero principio per se ipsam immanens sit ratione differentie individualis: quam immanentiam non habet productio partis formæ, quæ individualiter eadem transiens esse potuit.

Iam sese prodit grauis in hac re difficultas: productio vnionis inter formam antiquam, & partem formæ de nouo productæ non habet ex conceptu essentiali esse immanentem: ergo non habet immanentiam requisitam ad rationem vitalitatis: ergo in nutritione nulla intercedit vitalis actio: quia si semel concedamus productionē huius vnionis vitalem non esse, necessarii concedendum est, productionē partis formæ vitalitatem non habere. Resp. productionem huius vnionis esse vitalem, & habere immanentiam requisitam ad actum vitalem, non præcisè quia per suam entitatem immanens est: quod conuenit ratione differentie individualis: sed quia immanens est proprie, & strictè, & quia ex conceptu essentiali, & specifico hanc exigit imma-

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. II.

nentiam. Rem explico: Duo possumus meditari in hac actione conceptum specificum, & differentiam individuale. Si conceptum specificum meditemur, ex se habet exigere immanentiam, & ipsius terminum exigere vniri eodem numero principio actiui eiusdem speciei cum ipso, à quo de facto producit, ex suppositione, quod non producat in illa mensura, & integritate substantiali, & organica, in qua possit subsistere diuisus ab omni alio; quotiescunq; enim non producit integra forma cū integra de-organizatione petat præexistenti vniri. Hæc exigentia immanentia, quæ essentialis est coniuncta cum immanentia propria, & stricta, quæ de facto actioni contingat, siue per suā differentiam individuale, siue per aliquid aliud, quod propriè, & strictè immanentia constituit, sufficiens est ad rationem vitalitatis: & hæc inuenio in omnibus actionibus vitalibus, & non in aliis ab illis distinctis. Ob hanc rationem cum actionem vitalem definiui, non dixi, actionem per suam essentiam immanentem, sed ex sua essentia immanentem, id est, exigentem per suam essentiam immanentiam, siue illam actu habeat per ipsum conceptum essentialem, siue per individuale, siue per quodcunque aliud: quotiescunq; enim proprietas aliqua exigitur ab essentia rei, etiam si ab illa sit distincta, dicere possumus entitati conuenire ex sua essentia, licet non per essentiam illi conueniat. Sic quantitatē ex sua essentia extensam esse dicimus, licet non per suam essentiam, sed per præsentiam superadditam extensam esse dicamus. Ex quibus infero productionē vnionis integralis inter vnionem antiquam, & nouam proueniens à forma, esse immanentem per exigentiam immanentiam, quam habet ex conceptu specifico, & per immanentiam actualem, quam habet ex conceptu individuali, ex quibus immanentia requisita ad vitalitatem, & vitalitas ipsa confurgit. Itaq; hæc actio per se ipsam potest dici immanens, & vitalis; non tamen per suam essentiam; quia vnum ex requisitis ad immanentiam illi conuenit ex conceptu specifico, & essentiali: & aliud per differentiam individuale quæ essentialis non est, ita nec immanentia, quæ dicit prædicatum non essentialē, sed individuale actionis; vtrumque tamen prædicatum, ex quo immanentia constituitur, conuenit actioni per se; quia quidquid conuenit entitati ratione differentie specificæ, & individualis, illi per se, hoc est, per suam conuenit entitatem.

De actione productiua partis formæ affirmo non esse per suam entitatem vitalem, quia non est per suam entitatem immanens, potest enim de potentia Dei absoluta produci hæc pars formæ ab hoc numero principio, quin illi vnatur. Affero tamen propriissimā habere rationē vitalitatis, quando hæc producit, simul cum vnione ad formam antiquam, quod sic probo: Terminum ex se ab hoc agente secundum speciem productum, petat vniri agenti, à quo producit: ergo actio ex suo conceptu essentiali immanentiam exigit: ergo quando illi contingit, eā habet ex exigentia essentiali: ergo habet totam immanentiam requisitam ad actionem vitalem: ad quam, vt dicebam, tantum requiritur immanentia propria siue per essentiam, siue per differentiam individuale, siue aliquid superadditum contingens, & exigentia huius immanentia per essentiam, seu ex conceptu specifico actioni conueniens.

Inquires per quid conueniat actioni productiua partis formæ actualis immanentia? Resp. illi conuenire per actionem productiua vnionis partis animæ denuò productæ cum anima præexistenti, vel per vnionem per illam productam, per quam terminus actionis productiua partis animæ vnitur principio, à quo procedit, & immanens constituitur. Monui supra, eodem modo philosophandum esse de actione productiua nouæ partis modi vnionis, & de vnitione huius cum vnione antiqua: quod iterum moneo, ne totam doctrinam de productione partis formæ, & vnitione ipsius cum forma antiqua, iterum repetam pro nouæ partis modi vnionis productione, & vnitione eiusdem: de quibus eadem est omnino ratio: imò potiori iure adscribenda est vitalitas productioni nouæ partis modi vnionis, & vnitioni eiusdem, in qua formaliter viuens nutritio sita est, quàm productioni partis formæ & eiusdem vnionis cum forma præexistenti.

Obiic. Productio nouæ partis formæ, non est formaliter nutritio: ergo in viuentibus vitā tantum vegetatiua datur actio vitalis distincta à nutritione: ergo non tantum viuunt vitā vegetatiua, & sensitiua. Resp. productionem nouæ partis formæ non esse formaliter nutritionem viuens, spectare tamen ad nutritionem quoties inuenitur. Quia in viuentibus

viuentibus vitā materiali, & diuifibili effentialiter requiritur noua pars formæ, vel in instanti, in quo fit nutritio, vel iam antè producta, & huius vnio cum forma præexistēti effentialiter ad nutritionem requiritur: & licet non in illa consistat formaliter, & completiue nutritio viuentis, consistit in illa formalissime augmentatio formæ, quæ in viuentibus effentialiter requiritur ad illorum nutritionem. Quia ad augmentationem viuentis formæ diuifibili effentialiter requiritur augmentatio formæ.

11 Actio, quā arbor abscissum ab alia arbore ramū sibi vnit, immanens est: & similiter actio quā homo suam vnionem extendit ad partem nasi, vel digiti omnino ab illo abscissam: quam iam emortuam iterum viuificat, & sibi vnit, quia omnes hæ actiones sunt immanentes, & alio agenti extrinseco eiusdem speciei fieri nequeunt.

12 Obiicit. Actio nutritiua vitalis fit per intus sumptionem: sed hæ actiones nō sunt per intus sumptionem, sed per iuxta positionem: ergo non sunt vitales. Resp. has actiones, vt plurimum fieri in materia habente partes inter se dispositas, & ordinatas per applicationem factam per intus sumptionem: cuius ordinem, & dispositionem est cum diuersis numero principiis, retinent, quando per iuxta positionem applicantur: & hac ratione hæ actiones dici possunt factæ per intus sumptionem: & non per puram iuxta positionem. Quod si applicantur partes in prima generatione acquisite, etiam illa nutritio non fiat in materia disposita per intus sumptionem, non tamen fit per iuxta positionem tantum: quia ordinatio illa partium, quā habet portio nasi, vel digiti abscissa, non fuit per iuxta positionem instituta: sed per primam viuentis generationem, in qua non fuit additio partis ad partem facta per iuxta positionem.

13 Sensatio externa, & interna, intellectio, & volitio in mea sententia per se ipsas sunt immanentes, & vitales, quia, vt probabo Contr. 5. Punct. 1. per se ipsas procedunt ab anima & illi vniuntur. In sententia, quæ intellectiōnem, & volitionem in termino constituit distinctas à passione, & vnione, quibus inhæret, & vnitur animæ intellectio, & sic reliquæ actiones per vnionem, & inhæsiōnem superadditam, vitales sunt. An verò secundum hanc sententiam, possit illis vitalitas, & immanentia deficere, dependet ab alia quæstione: an videlicet possint ab alio principio actiuo, & in alio extrinseco subiecto produci: & quodcunque horum affirmetur, necessitatem inducit dicendi intellectiōnem, & volitionem, & sensationem posse sine immanentia, & vitalitate existere. Qui affirmant intellectiōnem, & sensationem consistere in actione: & non aliam immanentiam tribuunt sensationi materiali, nisi quia producitur à forma, & subiectatur in materia illi vnita, tenentur dicere has actiones esse immanentes per vnionem materiæ ad formā quam immanentiam existimare posse ab illis deficere, quia ad hoc vt anima rationalis sensationem producat in materia, vnio inter vtramque tantum se habet tanquam conditionem, quam Deus poterit supplere: ita vt anima hanc actionem exerceat in materia non sibi vnita: & immanens non sit, neque vitalis: semper tamen immanentiam ad vitalitatem requisitam exigit, quod sufficiens est, vt cum talis actio immanens sit, vitalitatem habeat.

14 Præsentia localis, neque motus progressiuus, & viuentiū motus dilatationis, & cōtractionis, vitales non sunt. De motu cordis, tenet hanc conclusiōem P. Garcia super fen. Aui-cennæ, disp. 50. c. 4. n. 17. & refert S. Th. opusc. 35. & 1. 2. q. 17. art. 9. art. 2. & 3. consentit Ferr. ibid. & P. Vasq. 1. p. q. 51. in explicatione art. 3. & disp. 86. in explicatione huius art. docet cōmestionem, loquutionem, & deambulationem esse vitales, tantum quoad modum, quia alias vitales actiones supponunt. Ratio est, quia eadem præsentia per eandem indiuisibilem actionem, per quam producitur motu progressiuo, posset produci motu, quo corpus naturaliter descendit deorsum: quod enim anima rationalis moueatur determinata proprio volitionis actu, vel quod moueatur determinata motu naturali corporis grauis, cui est vnita, non infert, neque inducit diuersitatem actionis, cum principium immediatè, & ratione sui pertingens actionem maneat idem: sicuti actus voluntatis idem manet, siue ab illa cognitione representante idem formale obiectum, siue liberè à duplici cogitatione, siue necessariò ab vna tantum procedat. Secundo, eandem præsentiam numero, quā ego per motum progressiuum acquirō, cum eadem vnione respectu cuiusvis extremi potui in me producere aliud agens eiusdem speciei: ergo actio productiua præsentis nō

habet ex prædicatis specificis agentis, & termini, esse immanentem, neque immanentiam exigere. Addidi cum eadem vnione, ne instares termino nutritionis, qui potest ab alio principio eiusdem speciei transseuntè produci.

Actiones, quibus Carduelis, & Pauo se depingunt coloribus, vitales non sunt, quia proueniunt à temperamento primariū qualitatum, respectu quaru actio productiua coloris nō habet propriam immanentiam, vt probauit Punct. 1.

CONTROVERSIA III. De Potentiis Anima.



Gr iam de Anima secundum se, ago modo de Anima secundum suam virtutem, propriasque ipsius potentias in communibus actibus in particulari de singulis earum, Controuersis sequentibus.

PUNCTUM PRIMUM.

An Anima per suammet entitatem, virtutem actiuam, atque passiuam habeat respectu suarum operationum.

§. I.

De virtute actiua.

Enodatio huius difficultatis viam aperiet ad passionem distinctas, vel indistinctas in anima constituendas, licet non omnino illam dirimat, quia postquam probauerimus animam concurrere immediatè ad suas operationes, restat sciendum, an concurret se solā, vel potentis, superadditis adiuta.

Vnum est fundamentum Thomistarum, negantium animam immediatè concurrere ad suas operationes, scilicet substantiā non esse immediatè productiuam accidentium: hoc à nobis destructum est in physicis, quapropter in illa expugnando, vel dissoluendo immorandum non est.

PRIMA CONCLUSIO. Anima immediatè concurret effectiue ad suas operationes exercendas. Probo illā specialiter respectu volitionum, ex quibus à paritate licet argueretur anima meretur, & demeretur per actus voluntatis: ergo est libera respectu actuum voluntatis: ergo efficienter concurret ad illos. Primum antecedens est fide sanctum, Prior illatio vix distinctionem admittit. Nolo tamen procedere, quin præcludam effugium, quod forsitan aliquis minus tūte tentabit, si dicat, animam esse liberam mediata, quia libera est voluntas, quæ est passio illius, non immediatè quia immediatè nihil efficit: quod sic impugno. Anima est, quæ primariò meretur, & demeretur: ergo anima est immediatè libera: antecedens puto absque notabili errore non posse in dubiū vocari: consequentiam probaui meriti, & demeriti libertatem cōsequitur: ergo illud, quod primariò immediatè, & per se meretur, est primariò per se, & immediatè liberum: ergo anima, cuius est proprium meritum, & demeritum, inest primariò, & per se, & propria immediata libertas. Confirmatur: animam esse liberā mediā potentia ab ipsa distinctā, tantum dicit potentiam esse liberā, & hanc potentiam subiectari in enima: ergo tantum libertas immediata potentie conuenit immediatè animæ, quatenus anima in se recipit potentia: sed receptio huius potentie in anima, & vnio inter vtramque nō est libera animæ: ergo non est in illius potestate illud, quod tu vocas libertatem mediatam: ergo talis libertas, mediata libertas non est respectu animæ, sed tantum respectu potentie. Viget; Anima tantum se determinauit ad illam libertatem immediatam potentie, quam tu mediatam vocas respectu animæ, quatenus se determinauit ad habendam potentiam quæ postea se determinat sine noua animæ determinatione: sed determinatio animæ ad habendam potentiam, quæ postea se ad actum determinat sine noua animæ determinatione, nullo modo fuit in potestate illius se determinare ad actum liberum voluntatis, quem tu dicis esse mediā: liberum respectu animæ: ergo anima nullo modo est libera respectu talis actus, ex eo præcisè, quod potentia in illa recepta libera sit. Sciatutā iā libertate immediatè respectu animæ, illius actiuitas sic facillè statuitur. Illud principium est.